

Quae est igitur sententia huius petitionis?

Precamur, vt Deus non sinat nos eueri opinionibus et affectibus corruptae naturae aut diaboli insidijs aut minis atque illecebris mundi, sed det nobis [106:] victoriam aduersus carnem, diabolum et mundum per dominum nostrum Iesum Christum. 5

Explica septimam petitionem.[†]

Sed libera nos a malo. „Malum“ intelligatur de malo poena, id est de calamitatibus priuatis et publicis, praesentibus et aeternis. „Liberatio“ significat et mitigationem et finalem liberationem. 10

Quae est igitur sententia?

Petimus, vt Deus corripiat nos in iudicio et non in furore, ne ad nihilum redigamur, vt in aerumnis det leuationem, ostendat testimonia suae praesentiae in depellendis periculis et concedat nobis liberationem in bona hora seu migrationem ex hac valle lachrymarum in aeterna tabernacula. 15

Explica verba epilogi: „Quia tuum est regnum,
tua potentia, tua gloria“.

[107:] Mentio „regni“ alludit ad officium regis, qui debet tueri et fouere subditos. „Potentia“ opponitur infirmitati nostrae et indigentiae et Deum ad commiserationem exuscitat. „Gloria“ significat causam finalem videlicet, 20 quia et nos confessione nostra eam celebraturi sumus et quia diaboli et hostes Dei blasphemi refutantur cum Deus adest et opitulatur ecclesiae.

[†] Holzschnitt: Jesus heilt die blutflüssige Frau (Mt 9,20–22): B.